



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter postulatione ius in beneficium, acquiratur, & de potestate Romani
Pontificis in beneficiorum collatione, illiusque praelatione comparatione
ordinarij. punct. 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

De tempore requisito ad electionem, eiusque confirmationem.

1. Designatur tempus electionis cuiuslibet prelaturo.
2. Confirmatio tribuit perfectum ius in beneficio, & qualiter celebranda est.
3. Quid si electores non conveniant?
4. Confirmans ante confirmationem debet qualitates electionis & electi nosse.
5. Qui habeant potestatem confirmandi.

Quod si de tempore, in quo celebranda est electio loquamur, certum est ante vacationem Ecclesie fieri non posse, neque esse validam: imo necessarium est, ut prius prelati de sanctis (epelatur, ut electio licita sit, tamen si fiat illo non scripto valida erit, constat ex c. bona memoria. 1. de electione, summa glossa. Deinde est certum, electionem prelaturo Ecclesiarum cathedralium: & regularium faciendam esse intra trimestre à die notitie habite vacationis, nisi electores iuste impediti fuerint; aliis priuabuntur pro illa vice potestate eligendi: habetur expresse cap. ne pro defectu. de electione. Insuperque debent electionem electo nuntiare, & eius consensum petere intra octo dies, si id fieri possit: aliis omnibus beneficiis, quae in ipsa Ecclesia habentur, sunt triennio suspensi, cap. expientes. c. ceterum. de electione. in 6. In Ecclesiis vero collegiatis, & omnibus aliis beneficiis, quae prelaturo non sunt, semel conceditur ad eligendum. cap. de multis. de prebendis. cap. nulla. de concess. prebend. Electus vero ad prelatum cathedralis, vel regularis Ecclesie, debet intra mensum à die quo electionis notitiam habuit, suae electioni consentire, vel dissentire, & infra mensum post consensum tenetur Romam petere, ut sic apostolice conspectui confirmandum praesentet. Alias cassabitur ipso iure electio, ut expresse deciditur. c. expientes.

1. Confirmatio electionis est, quae electo tribuit plenum ius in beneficio, ita ut sic confirmatus si possessionem beneficii accepit, possit exercere ea omnia, quae iurisdictionis sunt, c. notis. & cap. transmissam. de elect. et non possit exercere, quae ordinem, aut consecrationem requirunt, si ordinatus, consecratus non sit. Si vero electus ante confirmationem se administrationi sine spiritualium, sine corporalium in totum vel in partem ingerit vel per se, vel per alium, eo ipso amittit omnem ius, quod per electionem acquirerat, & merito; quia usurpat iurisdictionem, quam non habebat: habetur c. auar. de elect. in 6. Si vero facta confirmatione, quae nulla est, & invalida, admittitur, eadem penas contrahit, si scienter processit; secus si ignoranter. Glossa supra d. cap. Ab hac regula venit excipienda Abbatis electa à maiore parte conventus, cuius confirmationi, si duae partes non contradicant, potest interim administrari. c. in demeritis. §. si vero. de elect. in 6. Secundo excipitur electus ad Ecclesiam extra Italiam, cuius electio est à Summo Pontifice confirmanda: huic enim conceditur integra administratio Ecclesie excepta potestate alienandi. c. nihil. de electione.

2. Verum contingere potest, ut electores non conveniant, & sua vota in duas diuidant partes: ac tunc superior, penes quem est potestas confirmandi poterit confirmare qui sibi magis idoneus visus fuerit, iuxta text. in c. si forte. dist. 63. & c. quoniam de iur. par. Sed si ex illis duobus vnus electus fuerit, alius vero postulat aduertendum est, an postulantium numerus sit duplo maior eligentium; nam in isto casu postulat, si alius idoneus fuerit, confirmandus venit, si postulantium numerus non ita excederit, electus confirmandus est. Dixi alius postulat, idoneus fuerit, nam si fuerit indignus, & scienter indignum postulauerit electus prauelet. Si vero ignoranter processerint quod raro praesumitur, neque electus, neque postulat confirmabitur, sed iterum ad electionem procedere possunt. Quae omnia habentur in cap. scriptum. de electione.

4. Ante confirmationem vero debet confirmans qualitatem electionis, & electi explorare, an inquam electio legitima fuerit, & an electus qualitates habeat prelaturo requisitas, alias grauius peccabit, & confirmatio nullus erit momenti, utpote sine cogitatione facta, & periculo eligendi indignum exposita, §. vit. de elect. in 6. Quod si absque hoc examine conuigat indignum confirmari, suspenditur à beneficio & potestate priuatur penum electum confirmandi, grauiusque punitur, si malitiose processisse probatum fuerit, c. nihil. est. de elect.

5. Quod si iniquitas, qui potestatem habeant confirmandi: Respondeo consuetudinem potius, quam ius attendi debere Nam si ius antiquum spectetur, Episcopus confirmari debebat. à Metropol. & Metropol. à Primat. & hic à Patriarcha, hic à Romano Pontifice, vel eius Legato: prelati vero regulares ab Episcopo, cui erant subiecti. At cum nullibi electionis vnus existeret extra Germaniam, & religiosi omnes à iurisdictione ordinatio- rum sine exempti, aliter confirmatio obtinebat. Nam Episcopi etiam in Germania electi à Romano Pontifice, confirmantur; prelati regulares à provinciali, provincialis à generali; gene-

Est. de Castro Sum. Mor. Pars II.

ralis vel non indiget confirmatione, vel à pontifice illam obtinet. Azor. 2. p. in iur. mor. lib. 6. cap. 14. quaest. 7.

PUNCTVM XII.

Qualiter postulatione ius in beneficium acquiratur.

1. Qualiter postulatio ab electione differat.
2. Postulatio ante admissam postulationem nullum ius in beneficium competit.
3. Legitima est postulatio, si à maiore parte collegij fiat.
4. Si postules indignum, priuatur potestate postulandi.

Postulatio ad electionem reduci differt tamen ab illa, quia est personae iure canonico impedita. Vnde qui postulat petunt à superiore, ut postulatio dispensationem concedat, & impedimentum iuris relaxet, & habilem constitutum confirmet, colligitur ex 2. c. innotuit. de elec. c. bona. 2. de postul. prelat. & tradit Abbas Rub. de postul. prelat. Vnde solus superior (qualis non est alius à Pontifice, qui ius relaxare potest, & impedimentum remouere) potest postulationem admittit: admissio enim postulationis est relaxatio iuris, & postulati confirmatio c. gratum. c. bona. c. vit. de postul. prelat. & tradit Abbas c. 1. de postul. prelat. n. 34. & c. gratum eodem tit. num. 13.

2. Hinc infero postulatio; antequam superior postulationem admittat, nullum ius ad beneficium competere, quia ab illo ob impedimentum est exclusus, & postulares exclusionem non valent remouere, sed solum supplicat à superiore, ut ipse remoueat. Quapropter postulatus impedire non potest postulatorem, ut à postulatione desistant, & ne alium postulent aut eligant, quod secus contingit in electione; nam illa facta iam non licet electoribus mutare sententiam, quia electio ius ad beneficium acquisitum est, & tradit Azor. 2. p. in iur. mor. lib. 6. c. 17. quaest. 4.

3. Dubium tamen est, an postulatio legitima sit, si non ab omnibus, sed à maiore parte collegij fiat? Ratio dubij est: quia est gratia facta à communitate postulato; non enim communitas postulare illum debet, neque superior postulationem admittit. Sed in his, quae sunt gratia, & fauoris omnes conuenire debent, ut tradit Gloss. c. cum. omnes. de constitutionibus. Ergo absque consensu, omnium postulatio nulla est. At omnino tenendum est legitimam esse postulationem, si à maiore parte toto collegio, leg. quoad maior. ff. ad municipalem. §. c. 1. & vit. de his qua. sunt à maiore part. capituli. & clare colligitur ex cap. scriptum. de elect. ubi postulatio facta à numero duplo maiori quam electio electioni praesertur. Neque obstat ratio dubitandi, concedo non esse obligatum collegium postulare sic impeditum, neque superiorem admittit postulationem, sicut neque collegium semper obligatur cum eligere quem de facto eligit, sed alium loco illius eligere poterat. Sed non obinde sequitur in huius gratiae concessionem omnes conuenire debere, quia non est gratia de bonis, quae propria sint vniuersalibus. Adde postulates non tam gratiam facere postulato, quam petere, ut à superiore illi fiat. Neque talis petitio pro gratia repari debet, cum nullum ius inde postulatus acquirat.

4. Rursus dubitare potes, an si postules indignum, priuatur potestate eligendi, vel postulandi: Videris non priuari; eo quod in c. cum in cunctis. de elect. Solum eligentibus scienter indignum haece pena irrogatur. Non igitur ad postulatorem debet extendi. Ceterum dicendum est, extendi debere. Tum quia est eadem ratio. Tum quia in c. scriptum. de elect. videtur expressè cauere: ibi nisi forsitan omnes aut maior pars postulantium praesumptione damnabili postulauerint scienter indignum, haece merito debeant eligendi, seu postulandi potestate priuari. Idem habetur cap. 1. §. 2. de postul. prelat. & tradit Abbas in suprad. c. 2. §. c. 2. de testam. num. 2. Azor. 2. p. in iur. mor. lib. 6. c. 17. §. 6.

PUNCTVM XIII.

Qualiter collatione ius in beneficiu acquiratur. Et de potestate Romani Pontificis in beneficiorum collatione, illiusque prelatione, comparatione ordinarij.

1. Collatione ius in beneficium acquiratur
2. Romanus Pontifex plenum ius habet in beneficiis.
3. Si pontifex ordinariu in collatione praueinat, valida est eius collatio.
4. Limitatur, nisi ex parte prouisi ab ordinario concurrant possessio, vel assignatio diei, & hora.
5. Qualiter constabit ordinariu praueisse Pontificem in collatione prima. Quid sentiat Gonzalez.
6. Litteris sigillatis ab ordinario, & à notario subscriptis reuerentestestis, sufficienter probatur.

7. Testes plures quam duo non requiruntur in instrumento, etiam ex iure regio.

Nemini dubium est collatione ius in beneficium acquiri, quia collatio est concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem: debet tamen esse acceptata; alius non ius in beneficium, sed ad beneficium ex illa provenit. Idem quod dicitur de collatione, dicendum est de institutione. Nam institutio est collatio, non quidem libera, sed obligatoria; hoc est debita certæ personæ, scilicet, ei, quæ est à patrono beneficii præsentata, ut latius hæc omnia tradidimus punct. 1. huius disp. Videndum ergo est, quis possit beneficia conferre, & quæ in illorum provisione servanda sint. Et ex his constabit, qualiter collatione ius in beneficium acquiratur.

2. Constat Romano Pontifici esse à Christo Domino plenum ius in beneficiis concessum, ita ut ipse (prout sibi magis expedire visum fuerit) possit beneficia cuiuscumque qualitatis sint, personis idoneis conferre. c. 1. de præbend. in 6. c. 1. ut lit. pendente c. 1. unita per modum. 9. 1. Neque huic potestati obitare potest facultas ordinarij, alique prælati concessa providendi; quia illis solum respectu Pontificis est cumulativè concessa, non privativè. Neque Pontifex concedens facultatem ordinarij beneficia conferendi, se priuare poterat potestatem à Christo concessam, ut habetur cap. Audum. 14. de præbendis. in 6. ibi. Nos igitur attendentes, quod est memorato Episcopo prædictæ concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit maior, & tradit, pluribus relatis, Gonzal. ad reg. mensum. §. 1. c. 2. proem. per totum. Speculat. n. 51. Garc. 5. p. de benefic. cap. 1. à num. 1. c. seqq. Aug. Barbosa, 1. par. de potest. Episcop. alleg. 57. à num. 1.

3. Hinc fit, si Pontifex præueniat ordinarij in collatione beneficiorum, quæ ipse ordinarij conferre poterat, validam esse Pontificis collationem, quia est collatio ab habente æquam, imo maiorem potestatem, quam ordinarij; & deciditur expressè e. dudum. de præbendis. in 6. ibi; propter quod nostra, qui eandem occupavimus potestatem, potior debet esse conditio. Idem habetur c. si à sede. 31. eodem tit. cap. si plures. §. porro. de offic. deleg. in 6. & pluribus exornat Aug. Barbosa d. alleg. 57. à n. 10. Garcia, 5. p. de benefic. c. 1. num. 9. Gonzal. ad reg. Cancell. §. 3. proem. à num. 1. c. seqq. Et idem est, si non constaret, quinam præveniret in collatione, an pontifex, an ordinarij; præferendus namque esset ob prerogativam conferentis prout à Pontifice, prout à ordinario: colligitur ex d. c. si à sede. de præbendis. in 6. clem. 1. §. neuro. ut, lite pendente, & tradit alios referens, Gonzalex. supra. n. 111. Barbosa, num. 14. Garcia num. 9.

4. Limitandum tamen est, nisi ex parte prouti ab ordinario concurreret possessio. Nam tunc ratione possessionis prævalet ius ordinarij, ut expressè habetur, c. si à sede. 31. de præbendis. in 6. & tradunt omnes. Quod adeo verum est, ut etiam si proutus ab ordinario possessionem non accepit eo die, quo fuit proutus, adhuc præferendus est prouto Pontificis, quia possessio facit præsumere anteriorem fuisse proutum, & colligitur ex d. c. si à sede. cum generaliter dicat possessorem esse præferendum, cum de anteriore provisione non constet, & docet alijs relatis Gonzalez ad reg. mensum. §. 3. proemial. num. 69.

Limitatur deinde, nisi ex parte prouti ab ordinario concurreret non solum assignatio diei, sed horæ, cuius assignationem non habet proutus à Pontifice. Nam ob illam determinationem præsumitur prouto ordinarij anterior; quia est certior probatio illa, quæ hæc determinatione caret. Gonzal. à n. 100. Barbosa 3. p. de potest. Episcop. alleg. 57. n. 15.

5. Inquires qualiter constabit, ordinarij prævenisse Pontificem in collatione?

Huic difficultati respondet Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 3. proem. à n. 147. necessitò constare debere per instrumentum, seu scripturam factam coram notario & testibus se subscribentibus in eodem instrumento, neque sufficere literas ordinarij suo sigillo munitas, neque item factas coram secretario, si secretarius notarius non esset, neque si testes essent domestici, quia facile poterat ordinarij fingere ante datam cum suo secretario, & testibus domesticis. Ne ergo hæc fraus committatur, requiritur (inquit Gonz.) ut ordinarij proutio contra Apostolicam provisionem probetur per notarium, qui est. persona publica, & testes omni exceptione maiores. Quod à fortiori affirmat Gonzalez supra. n. 152. procedere in assertione ordinarij de resignatione coram se facta, quæ contra proutum Apostolicum non probat, nisi posita supradicta solemnitate; Ne fraudibus locus detur. Alijs facillimo negotio possent ordinarij omnes provisiones Apostolicas eludere, affirmantes coram se beneficia prius fuisse resignata. Extenditurque hæc doctrinam iuse Gonzal. n. 150. ut procedat non solum in Episcopis, & alijs collatoribus inferioribus, sed etiam in legatis Cardinalibus, quorum provisiones contra proutum Apostolicum non probant, nisi sub prædicta solemnitate. Declarat tamen Gonzal. à n. 167. traditam doctrinam, ut procedat casu quo proutus ab ordinario non esset in possessione ante datam litterarum Apostolicarum, Nam si possessionem obtineret, esto de eius provisione authent-

ricè non constaret: sic præsumenda esset ob favorem possessionis, quæ fraudem excludit. Secundo declarat, ut non procedat casu quo proutus ab ordinario ante datam litterarum Apostolicarum beneficium resignasset, & de hac resignatione constaret saltem per duos testes, quia hæc resignatione facta videtur cessare fraudis præsumptio, quæ in collatione facta ab ordinario præsumi poterat. Tertio declarat non esse locum, si proutio ad duos prælatos pertinere, vel ad ordinarij simul cum capitulo; quia non est credendum tot personas in fraudem esse consenturas. Quarto dicit cessare dictam dispositionem, si proutio provisionem ordinarij esset aliqua præsumptio, excludens fraudis præsumptionem; quia una præsumptio aliam vincere potest. Vltimo declarat non esse opus, ut notarius & testes se subscribentes in instrumento collationis ordinarij rogati sint, quia nullibi hæc conditio cavetur.

6. Cæterum est verissimum sit provisionem ordinarij contra proutum apostolicum, seu legatum non probari sufficienter literis ab ordinario sigillatis, ut post alios tradit Mascarell. conclus. 991. à num. 13. Garcia 8. p. de benefic. cap. 4. num. 11. esto adesse secretarij episcopi subscriptio, si notarius non esset. At credo si notarij subscriptio adesset, referens testes præsentis testis, sufficienter provisionem ordinarij probari contra quolibet impetrantem, tamen si testes in instrumento non se subscriperint, quia recessivissima praxis est instrumentum publicum non expostulare ad sui fidem testium subscriptionem, ut alijs relatis comprobatur Covar. pract. cap. 20. num. 4. & tradit in præsentis Garc. supra. num. 53. imo addendum exitum hæc probationem esse sufficientem, etiam si testes in instrumento publico nominati domestici essent, aut familiares: quia nec probatio non fit vigore testium, sed vigore instrumenti publici, cui probationi non derogatur notabiliter ex appositione testium, qui non sint omni exceptione maiores. Garc. 8. p. de benefic. cap. 4. num. 55. in fine. Deinde sufficienter proutio ordinarij aduersus Apostolicam comprobatur per subscriptionem testium in instrumento provisionis, tamen non fit per notarium factum. Et idem est si testes examinati deponant de provisione ordinarij annectata. Quia testium probatio legitima est & præsumptionem cessare facit. Quod à fortiori procedit si possessio comprobetur, tamen de collatione non constet. Garc. d. 8. p. de benefic. cap. 4. n. 27.

7. Quod si inquiras, quot testes continere debeat instrumentum, & scriptura quæ proutio ordinarij comprobanda est Clata est resolutio, iure communi spectato. Nam iuxta illud duo sufficientes ex textu, & gloss. communiter receptis, c. 1. de fide instrument. c. Authent. de instrumentorum camera. c. 1. de §. sed est instrumentum Covar. pract. c. 20. Burgos de Paz in leg. 3. Tauri. 1. p. num. 127. At spectato iure regio Castellæ tres videtur requiri, nisi sint tabeliones, ex leg. 54. tit. 18. par. 2. si dos escribanos publicos por testigos sin aquel que hace la cartaga, que escriban sus nombres en ella. Osi por ventura tantos escribanos publicos no pudieren aver en el lugar, tomen por testigos tres hombres buenos: sic Covar. dicto esp. 20. n. 4. Joann. Orobus in leg. 3. quis ex argentinis. §. si initium. num. 54. ff. de edendo: comprobanturque potest ex parti communiter recepta, quæ per tabeliones apponuntur tres testes in scriptura publica.

Cæterum multo verius est duos sufficere, etiam ex iure regio. Nam in leg. 111. eodem tit. 18. par. 1. quæ posterior est supradicta leg. 54. duo tantum requiruntur ibi. Orosi no vale la carta publica, en que no sea escrito el mes, y el dia e la hora en que fue fecha, e los nomes de dos testigos. Et licet hæc lex solum à contrario sensu prohibitionem faciat, quæ probatio non est ita efficax, eum contrarium alia in lege dispositum sit. At qua in leg. 114. eiusd. tit. expressè deciditur duos testes sufficienter probare, ibi. Eam decimos que toda carta, que sea fecha por mano de escribano publico, en que no sea escrito los nomes de dos testigos, al menos, e el dia, e la hora, e el lugar, en que fue fecha, es como de falso mostramos, que vale para probar lo que en ella se xere: ideo huic dispositioni standum est, & tradit expressè Grego. Lopez dicta leg. 54. verbo tres. Joann. Gutier. lib. pract. quest. 140. Burgos de Paz in leg. 3. Tauri 1. p. num. 124. c. seqq. & alij quæ refer. & sequitur Garcia. 8. p. de benefic. cap. 4. num. 51. Neque obstat supradicta leg. 54. requirens tres testes, quia non requiruntur necessariò, sed ad abundantiam ibi: e abunda en una carta publica. Item dici potest requisitos esse tres testes, vel à minus duos, ut bene Greg. Lopez, & Joann. Gutier. explicuerunt, & iacius Burgos de Paz, leg. 3. Tauri. 1. p. à num. 124. c. seqq.

PUNCTUM XIV.

An cum Pontifex beneficia vacantia in mensibus ordinarij prouidet, debeat expressè huic iuri derogare, ut eius concessio teneat.

1. Cum Pontifex in 4. mensibus ordinarij concessis beneficia vacantia prouidet, non tenetur huic iuri derogare.
2. An idem sit dicendum, cum ordinario est gratia alternativa concessa? Affirmat Garcia.
3. Provisio

DE CASAL PALACIO